

tus sanctus in columbæ specie corporali. Hæc separatim quidem; sed nullo modo separata tria illa demonstrant. Ad hoc utcumque intelligendum assumimus memoriam, intelligentiam, voluntatem. Quamvis enim hæc suis separatisque temporibus singulatim singula enunciamus; nihil tamen horum sine aliis duobus agimus aut dicimus. Nec ideo putanda sunt hæc tria Trinitati sic comparata, ut omni ex parte convenient. Cui enim similitudini in disputando convenientia tanta conceditur, ut ei rei, cui adhibenda est, ex omni parte coaptetur? vel quando ex creatura ad Creatorem aliquid simile assumitur? Primò ergo in hoc invenitur ista similitudo dissimilis, quòd tria hæc, memoria, intelligentia, voluntas, animæ insunt; non eadem tria, est anima: Illa verò Trinitas non inest; sed ipsa Deus est. Ideo * ibi mirabilis simplicitas commendatur, quia non ibi aliud est esse, aliud intelligere, vel si quid aliud de Dei natura dicitur: Anima verò, quia est, etiam dum non intelligit; aliud * est, quòd est, aliud, quòd intelligit. Deinde quis audeat dicere, Patrem non intelligere per seipsum; sed per Filium; sicut memoria non intelligit per seipsam, sed intellectum; vel potius anima ipsa, cui hæc insunt, per intellectum tantummodo intelligit; sicut per memoriam tantummodo meminit, & voluntatem tantummodo vult? Ad hoc ergo adhibetur ista similitudo; ut, quoquo modo, intelligatur; quemadmodum horum trium in anima, cum singula nomina enunciantur, quibus eadem singula demonstrantur, tamen unumquòdque nomen his tribus cooperantibus enunciat, cum & reminiscendo & intelligendo & volendo dicitur; ita nullam esse creaturam, * quâ vel solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus demonstratur, quam non simul Trinitas operetur, quæ inseparabiliter operatur: ac per hoc nec vocem Patris, nec animam & carnem Filii, nec columbam Spiritus sancti esse factam; nisi eadem cooperante Trinitate. Nec sanè sonus ille vocis, qui continuò esse desinit, coaptatus est in unitatem personæ Patris, nec illa columbæ species corporalis coaptata est in unitatem personæ Spiritus sancti: nam ipsa quoque sicut nubes illa lucida, quæ operuit in monte cum tribus discipulis Salvatorem, vel potius sicut ille ignis, qui eundem Spiritum S. demonstravit officio significationis impleto, mox esse desivit; sed solus homo, quia propter ipsam naturam liberandam illa omnia fiebant, in unitatem personæ Verbi Dei, hoc est, unici Filii Dei, mirabili & singulari susceptione coaptatus est, permanente tamen Verbo in sua natura incommutabiliter, in qua nihil compositi, cum quo subsistat ulla phantasia humani animi, suspicandum est. Legitur quidem: *Et Spiritus sapientia multiplex*; sed rectè dicitur etiam *simplex*. Multiplex enim; quoniam multa sunt, quæ habet: simplex autem;

* Al. ipsa

* Al. est quidem esse, aliud est, quod

455

* Al. in

Matth. 3. 17.

* Al. unitatem Patris

Matth. 17. 5.

Act. 2. 3.

* Al. desinit

Sap. 7. 22.